



Stephanus natus est honesto loco Vviennæ Austriae. nam patrem habuit Bernhardum Denckium equestris ordinis uirum, qui octuagenarius anno 1522 obiit. Erat Steffanus multis corporis & animi uirtutibus insignis, atque magnum literarum usum sua diligētia sibi cōpararat. Itaque Ferdināus rex ultrò ad equestris ordinis subsellia atque secretiora consilia uocauit. Quin etiam anno 1542 Consul Vuiennensis electus est. quā magnificum autem consulis Vuiennæ officium sit, præter tot seruatorum comitiū etiam titulus ostendit, quem post Argentinensem inter Imperiales etiam ciuitates, Magnifici, Vuiennensis consul, non solum à

suo principe, sed ipso adeò Imperio cōsentiente obtinuit. In ea dignitate Steffanus propter uirtutes per plures annos mansit, & quod hæctenus nulli in ea repub. contigit, eum magistratum ordine continuauit. Erat is pietatis & iustitiæ obseruantissimus. Itaque summopere studuit pacem inter ciues alere, & ut suum cuique tribueretur, prouidere. hinc etiam factum, ut sine odio plebis consularis officium optimè administrarit, et sibi magnam laudem apud posteritatem compararit. Vu. Lazius in rerum Vuiennens. lib. 4.